Albertus, Habſpurgenſis, & Sueuiæ, ſuperiorisq. Alſatiæ Comes, inſignis ad maximam laudem, otij cupidiſsimus, idemq. in bello fortiſsimus, ſenio confectus, Principatus adminiſtratione filijs delata summi Dei monumentum Hieroſolymis inuiſere, pietatis, religionisq gratia, ſtatuit. In eoq. itinere a ſacris D. Joannis Militibus Dux cōtra fidei hoſtes nominatus, ingentes Mahumetanorū copias parua manu fudit; poſtmodū & ipse hoſtiū inſidijs petitus, ut eſt in rebus humanis Fortuna uaria, ad eiuſdem Dei conſpectū in cælum euolauit, Accaronæ demū ſepelitur, ſummo bonorū luctu, maxima pōpa.

Obijt anno Filios reliquit, Rudolphū, Albertū, & Carolū; equibus Rudolphus a Friderico II ad ſacrā baptiſmatis aquā ſuſceptus, Rex poſtea Romanorum efficitur.

Bemherus, Othonis filius, ea fuit prudentia, ea liberalitate ea clementia prœditus, ut, quid deceret pro uarietate tēporū, acute uiderit; nullū auaritiæ ueſtigiū reliquerit; omnibusq. suis cōſilijs, dictis, & factis reſtiterit crudelitati; ita tamē, ut iuſtitiam præ ceteris diligeret, ātiquiſſimamq. rerum omnium eſſe duceret; ex quo Iuſti cognomen aſſecutus, Gregorio VII Pont. Max.